ASTESANUS DE AST
Saalfelden/Salzburg, 1471-1472 Seite 137v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



parum aut nichil discordare
videtur illa oppinio que ponit
quod restitucio est pars satisfactionis
ex misericordia magis quam ex iusticia
licet autem restitucio per comparacionem
ad iusticiam 2o modo dictam
non sit pars satisfactionis tamen
est quoddam preambulum ad
satisfactionem Non enim sufficienter
potest homo satisfacere pro peccato
quamdiu non vult rem alienam
restituere Unde etiam qui non ha-
beat unde restituat tenetur
habere voluntatem restituendi
si posset hec Richardus.

De Elemosina

Postea considerandum
de partibus satisfactionis
in speciali Et primo de
elemosina 2o de oracione 3o de ieiu-
nio 4o de restitucione que ut
habitum est supra est pars satisfactionis
aliquo modo vel saltem pream-
bulum ad satisfactionem || Circa
vero elemosinam primo considerandum
de eius qualitate 2o de eius
differencijs sive distinctione
3o de necessitate faciendi elemosinam
4o de quibus bonis sint faci-
ende elemosine 5o quorum
est elemosinas dare 6o de
quibus sint elemosine dande 7o
quomodo debent dari elemosine
8o de elemosine fructu et utilitate
9o de elemosina per comparacionem ad
satisfactionem || Circa primum

querunt plura scilicet quid est ele-
mosina secundum diffinicionem Respondeo
elemosina secundum quod describitur a quibus-
dam est opus in quo datur
aliquid ex passione indigenti
propter deum. Dicitur etiam elemosina
ab eleo quod est verbum grecum
et est idem quod misereor cuius
imperativus est eleyson i. miserere
a quo eleos i. misericordia et inde
elemosina i. misericordia Unde non debet
dici elemosina sicut quidam pro-
ferunt illi qui sunt periti in
greco Misericordia autem miseris est
necessaria Sicut autem aliquis mise-
riam a se expellit quantum potest
ita misericors miseriam remo-
vet ab alio ei subveniendo
scilicet per bonorum suorum communicacionem
Hec communicacio non potest esse
meritoria et virtuosa nisi quando
fit propter deum. Et ideo in predicta
prescripcione tanguntur omnia que
concurrunt ad perfectionem elemosine
secundum quod est meritoria Ipsa enim
miseria aliena que est motivum
misericordie tangit per hoc quod dicitur
indigenti Misericordia autem
que nascitur in nobis ex aliena
miseria tangitur per hoc quod dicitur
ex passione Misericordie ef-
fectus in revelando alienam
miseriam ibi opus in quo
datur aliquid Hec enim est
essencia eius vel ipsius elemosine
sed intencio directa ad deum

de elemosina